



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 8. Sepem dißipare quàm sit malum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

ti & quiescenti solitum adesse, & assistere velut comitem. Didymus Abbas & Anachoreta colubros & serpentes innoxios tractabat. *Ciuitas est in Achaia, nomine Patra,* Ælian. lib. 13. Variar. cap. 46. ait Ælianus. *In ea puer (Thoas) draconem paruulū emebat. magnāq; cum cura educabat, cumq; creuisset, loquebatur quasi cum intelligente, ludens ac dormiens cum ipso. Cū verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à Ciuibus est dimissus. Post cū puer adolescens factus reuersus à spectaculo quodam cum aliquibus aequalibus in latrones incidisset, & clamorem extulisset, ecce draco praesto est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsum verò saluum conseruat.*

§. VIII.

Sepem dissipare quàm sit malum?

Nonnè hos coluber momordit, cū iu- Iob. 26.
uenem hunc, tamquam sepem dissipare, 13.
vellent? Quamuis & alius est, coluber tor-
tuosus, qui in Paradiso primos parentes mo-
mordit, de quo scriptū est: *Non est caput ne-* Eccli. 25.
quius super caput colubri, qui mordet Dei le- 22.
gem, tamquam sepem, dissipantes, nec dam-
num dumtaxat damno, sed vtiq; longè gra-
uius damnum reponit. Quanta enim cum-
que sit iniuria alteri illata, numquam tamen
tantum

tantum est malum, quantum sustinet is, qui iniuriam infert. Ille in pecunijs, in fama, in corpore aliquid patitur; at iniuriosus mor-
 detur à suæ conscientia verme, & à peccato
 Eccli. 21. 2. de quo dicitur: *Quasi à facie colubri fuge pec-*
cati. Et, si vel modica iniuria, si sepiis lace-
 ratio sine pœna non abit; quid ei fiet, qui
 Eccles. 10. 8. nomen, qui famam alterius lacerat? *Qui dis-*
sipat sepem, ait, *mordebit eum coluber.* Audi,
 quid sanctissimæ feminæ acciderit, ob sepem
 quàm parcissimè dissipatam, sepem aperuit,
 & sibi templum, per angelos aperiri soli-
 tum, clausit. Raderi verba, & venatoribus
 alijsque sepium dissipatoribus diligenter
 considerandam historiam accipe. *Kunigun-*
 Matth. Rader. in *dis, seu Cunissa nobilissimo dynasta Conrado Co-*
 Bauaria *mite Oeningensi, ad lacum Acronianum, nepote*
 Pia. pag. *Othonis Magni Imperatoris ex filia Richalita,*
 28. *oriunda Friderico II. Andecensi regulo, Arbonis*
filio, Friderici I. Comitis And. nepote B. Ra-
thonis seu Rassonis pronepti nupta, post mariti in
peregrinatione Hierosolymitana defuncti mortē,
& dotem suam, & quidquid opum possedit Chri-
sto consecrauit, modicā sibi ad vitam tuendam
partione retentā. Imperante namque Henrico
S. Imperatore Cœnobium nobile Canonicis, qui
D. Augustini leges sequuntur, ad D. Stephani
cultum

cultum & venerationem in agro Diesensis oppi-
di, à quo Coenobium nomen accepit, condidit,
ibidemq; vitam sanctissimè traduxit. Modicam
quippe cellam in D. Stephani ade, qua occiden-
tem spectat, paullulum à pavimento sub testudi-
ne elatam posuit, ubi sub rem diuinam condita
Deo precibus votisq; litauit. Ceterùm haud pro-
cul inde supra saltum in castro ad Villeginm
Vengauiano morabatur, unde sub nocturnas re-
ligiosorum preces unà dūtaxat ancillā comitata
descendebat ad D. Stephanitemplū, cuius valuas
per caelestes ianitores reductis vectium repagulis
sibi semper patere animaduertit, nisi quòd semel
dumtaxat clausas sensit, cū in descensu per a-
gros & campos, ut imbrium de calo cadentium
aquis iter cœno & luto impeditum facilius expe-
diret, sudem è proximā pauperis villani sepe ex-
traxit, quo corpus ne fallentibus vestigijs in cœ-
num prolaberetur, sustineret. Tum verò mirata
quid esset, quamobrē sibi preclusa adis sacra ia-
nua esset, quæ alias semper sponte patuisset, ali-
quid ab se haud dubiè offensum, quo aditum pro-
hiberet, cumq; in se altiùs descendisset, & omnes
animi latebras perscrutaretur, si quid depre-
henderet, quo numinis clementiam ab se auertis-
set, nihil tamen (tanta vinebat mulier innocen-
tia) posset reperire, quo deliquisset, tandem an-
cilla

illa, vide, inquit, domina, ne conuulso palo soluta & aperta abs te sepius aliona series tibi portam templi pracluserit. Et hoc ipsum erat, quod à sacrario, innocentem alioquin, matronam prohibebat, nam simul palus suo loco restitutus est, & apertum sepius interuallum expletum, illa ad templum & cellam suam in templo sitam, reueratis iterum diuinitus valuarum claustris, liberum aditum inuenit.

§. IX.

Alia sacra Scriptura sententia de malis in caput authoris reuertentibus.

Quod per dictas similitudines expressum est, id etiam sine similitudine alijs sententijs passim significauit Scriptura. Et quidem

- Psal. 136. 8. à Deo esse talionē indicat Dauid: *Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: & Oseas: Opprobrium eius restituet ei Dominus.* Ita quasi mutuuum domino suo restituendum opprobrium reputatur.
- Psal. 9. 17. Eòdem spectat illud: *In operibus manuum suarum comprehenditur peccator, qui etsi virga Dei est, qua castigantur rei, si tamen plus facit, quàm iubetur, & fas est, etiamsi facit, quantum permittitur, tandem & ipse, tamquam virga in ignem mittitur.* Hinc legimus: *Virgâ ira sua consummabitur. Irascetur, & tam-*